

tibilium, quibus non est dubium correspondere suam propriam mensuram, sicut daretur in Angelis si essent in puris naturalibus. Hæc autem non potest tolli per supernaturalem elevationem gratiæ, natura enim perficitur per gratiam, sed non destruitur: ergo neque mensura naturalis destrui debet. Hæc autem mensura naturalis vocatur ævum, neque enim alio nomine nominatur. Nec valet dicere, quod anima Christi non solum habet gratiam, et dona supernaturalia accidentalia, sed etiam substantiale esse divinæ existentiæ, quod in sententia D. Thomæ communicatur naturæ assumptæ, et consequenter duratio divina, quæ non distinguitur ab existentia, ergo talis duratio poterit esse subjectum ævi respectu aliarum durationum substantialium. Respondetur enim quod licet existentia divina communicetur animæ Christi, non tamen communicatur modo infinito, et omnino immutabili, sicut est ipsa duratio divina in se, et ideo ex parte communicationis, seu unionis subjicitur mensuræ creatæ, quæ est æternitas participata, ut supra diximus articulo primo. Non tamen est subjectum ævi, quia ævum est mensura naturalis ordinis, et convenit rebus incorruptibilibus independentem ab unione hypostatica, quæ supernaturalis ordinis est.

XXXI. Secunda vero sententia est expresse contra D. Thomam, opuscul. xxxvi, cap. v, et quodlib. v, artic. vii, ubi expresse negat ævum subjectum esse in Lucifero, eo quod per peccatum operationes illius, ita sunt aversæ a fine ultimo, quod amiserunt simplicitatem, et uniformitatem suam, et magis multiplicatæ sunt, et minus unitæ, eo quod ab unitate illius finis indivisibilis ad multitudinem conversæ sunt. In cujus signum dicitur Ezechiel xxviii de supremo Angelo: *In multitudine*

negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate et peccasti. Cum ergo ævum sit mensura substantiæ angelicæ, non quomodocumque, sed ut est radix operationum, ut Sanctus Thomas docet quodlib. v, citato, artic. vii, quanto majori mutabilitati operationum conjungitur, tanto magis recedit ab uniformitate ævi, et consequenter non est aptum subjectum pro fundanda ratione mensuræ. Dicitur autem mensurare durationem substantialem, quatenus est radix operationum, quia ævum, ut constat ex ejus definitione tradita a Cajetano hic articulo vi: « Est unitas vitæ immutabilis mutabilitati conjuncta. Nomine autem vitæ non intelligitur sola substantia vivens, sed etiam operatio vitalis, seu natura, ut est radix operationum vitalium, sic enim mutabilitati conjuncta est in vivo, id est, in se movendo. Unde quando Angelus per peccatum deficit a simplicitate, et uniformitate, et reducitur ad multitudinem, et consequenter ad minorem uniformitatem, et propterea ex peccato non solum amisit Lucifer gratiam, sed etiam multiplicior, et deformior est redditus, quam si non peccasset, in suis operationibus, vel etiamsi mansisset in puris naturalibus, nam si in illis maneret, et non peccasset, etiamsi alii essent in gratia adhuc esset subjectum ævi, quia non cecidisset a majori ad minorem uniformitatem in operando, sicut de facto cecidit Lucifer recedendo a fine ultimo vero, qui est magis indivisibilis, et unitus in movendo, et trahendo omnia ad se, et operationes petit magis uniformes. Neque obstat quod in speculabilibus manserit, sicut antea æque perfectus, sufficit enim, quod in practicis, ita sit mutatus, quod majorem mutabilitatem, et deformitatem in operationibus incurrerit, sic enim est conjunctus majori mutabilitati, et deformitati

ex illa parte, scilicet ex parte practica, et operationum liberarum, non enim requiritur, quod omni parte reddatur mutabilior.

XXXII. Quapropter cum D. Thomas citatis locis restat dicendum, quod ævum prout est naturalis mensura durationem subjective est in supremo bonorum Angelorum, qui simpliciter retinuit majorem uniformitatem in suis operationibus vitalibus, nec decidit ab ea quam habebat, ævum autem est mensura vitæ immutabilis cum aliqua mutabilitate conjunctæ. Ubi ergo conjungitur minori mutabilitati, ibi est uniformior duratio. Nec est inconveniens, quod ævum possit mutare subjectum materialiter loquendo, nam formaliter non mutat. Dicitur enim subjectum ævi formaliter illa vita immutabilis, quæ minori mutabilitati conjuncta est, ubicumque hoc invenitur, sicut locus dicitur superficies ambiens in tali distantia, quæcumque superficies illa sit materialiter, et in individuo, et sic si ille, qui est supremus Angelus, et minori mutabilitati conjunctus reddatur mutabilior, quam ille, qui sibi est inferior, amittet illa duratio superioris Angeli rationem ævi, seu mensuræ, quæ petit majorem uniformitatem, et duratio inferioris Angeli, quia manet uniformior, dicitur ævum tamquam mensura.

ARTICULUS III.

Quid de tempore discreto?

I. Tempus discretum vocatur illa mensura, quæ constat ex pluribus indivisibilibus operationibus, quarum una succedit alteri, sine motu fluente intermedio, sicut enim si plures motus interrumpantur in rebus corporalibus consurgit ex illis tempus interruptum, seu discretum

in contrapositionem temporis continui, quod petit durationem motus non interruptam, sed continuatam, ita in spiritualibus substantiis cum dentur plures operationes sibi succedentes quarum quælibet indivisibilis est, utpote carens partibus successivis, ideo ex ista pluralitate operationum sine continuitate succedentium, dicitur nasci tempus discretum, quod quidem vocatur tempus non ratione continuationis, sed quia habet plura nunc, id est, plura indivisibilia, seu plures indivisibiles operationes, discretum autem, quia illa plura indivisibilia non continuantur, neque continuant partes motus, sed una indivisibilis operatio sequitur post aliam, et ideo discreta sunt. Dari autem hujusmodi operationes in Angelis constat, nam quædam operationes sunt in Angelis omnino naturales, et coævæ illis (loquimur de operationibus naturalis ordinis) sicut intellectio, et amor sui. Et tales operationes, quia nunquam interrumpuntur in Angelo nec variantur, eodem ævo mensurantur quo sua substantia, cui sunt coævæ, sicut alia accidentia, ut potentia. Aliæ sunt operationes immanentes, quæ pro libertate Angeli variantur, sicut sunt intellectiones aliarum rerum, et affectiones, operationes etiam transeuntes, sive distinguantur ab immanentibus, sive non, constat enim in his operationibus recipere Angelos mutabilitatem, et variationem, cum possint de novo aliqua intelligere, aut velle, vel ab eo cessare. Sunt autem indivisibiles istæ operationes, quia spirituales, et partibus carentes, et consequenter independentes a tempore, et motu corporali. Non tamen dicuntur indivisibiles, quia solum durent per unum instans nostri temporis, aut illi solum respondeant sed potest habere operationem, quæ respondeat instanti nostri tem-

poris, et quæ correspondeat multis partibus nostri temporis, prout Angelus volverit in sua operatione manere, vel ab ea cessare, licet in se formaliter operatio sit indivisibilis, et unica, seu carens partibus. Et hoc est tempus, de quo dicit Augustinus VIII de Genesi ad litteram, capit. xx: « Quod Deus movet creaturam spiritualem per tempus, » non quidem per tempus nostrum, cui non subjacent operationes Angeli, sed per illud tempus discretum, quod ex pluralitate operationum Angeli, con-surgit; et Div. Thomas, hic articulo quinto ad primum dicit, quod creaturæ spirituales, quantum ad intelligentias, et affectiones in quibus est successio, mensurantur tempore, et tamen infra quæst. LIII, art. III, in fine corporis et ad primum dicit, hoc tempus Angeli non esse idem cum nostro, quia non pendet a motu cæli.

II. Ex quo colligimus contra Scotum in secundo, distinct. II, quæst. IV, dari in Angelis tale tempus discretum, et contra Vazquez hic disputat. xxxvi, cap. I, hoc tempus esse veram mensuram distinctam a nostro tempore, et ab ævo. Ab ævo quidem distinguitur, quia tempus discretum integratur ex diversis operationibus habentibus inter se formalem successionem, et mutationem, ævum autem mensurat rem carentem successione, mutatione substantiali, seu formali, quæ conveniat ipsi durationi substantiæ, quæ mensurat. A tempore autem nostro distinguitur, quia operationes illæ Angelorum sunt supra nostrum tempus, nec habent continuitatem, et successionem quantitativam, sed discretam, nec discretam discretione quantitatis formalis, sicut numerus, qui est species quantitatis, in quo Scotus impugnavit hoc tempus discretum, cum tamen nos non ponamus ipsum esse discretum sicut

duæ quantitates, quæ constituunt numerum, sed discretione distinctarum operationum, quarum quælibet est indivisibilis, et supra nostrum tempus, ergo non potest mensurari tempore nostro, cum sit extra genus ejus, et sic non possumus reducere illud tempus angelicum ad tempus nostrum, tamquam ad mensuram, et ad aliquid uniformius, sed tamquam ad aliquid imperfectius.

III. Difficultas ergo reducitur ad hoc ut videamus, an hoc tempus discretum sit unum, vel plura? Videtur enim nullo modo posse dari unum tempus discretum, sicut datur apud nos unum continuum. Et primo quidem, si datur unum tempus discretum id esse debet, quia reduci possunt omnes durationes operationum spiritualium ad aliquam summam uniformitatem in operando. Hoc autem explicari non potest in quo consistat, præsertim quia cum istæ actiones sint liberæ, nihil habent fixum, vel stabile quantum ad uniformitatem, si quidem potest Angelus superior habere modo plures, modo pauciores, dum inferior habet tantum unam, vel e contra, non ergo potest ibi fundari aliqua ratio mensuræ magis in una, quam in altera. Secundo, quia actiones liberæ Angeli superioris non sunt cognitæ inferiori, neque e converso nisi quantum Angelus voluerit manifestare, ergo non serviunt pro mensura, quæ debet esse notior mensurato. Si autem actio libera manifestetur in aliquo effectu, talis effectus non fundat mensuram temporis discreti; quia aliquando solet mensurari tempore nostro, sicut motus cæli est effectus operationis Angeli, et tamen pertinet ad nostrum tempus non ad discretum. Tertio, quia Angelus inferior in suis actionibus liberis nullo modo subditur superiori: ergo nullo modo mensu-

ratur ab illo quoad istas operationes.

IV. Nihilominus respondetur cum Cajetano in præsentis articulo quinto dari unum tempus discretum formaliter, quod subjective est in supremo Angelo magis ordinate, et regulariter operante, sicut nostrum tempus est in motu cæli. Fundamentum est, quia in istis operationibus aliquæ sunt ex natura sua, et modo procedendi simpliciores aliis, ergo oportet, quod ista varietas, et difformitas sit reducibilis ad aliquam uniformitatem, et simpliciorum modum habendi illas, et durandi in eis. Constat autem Angelos quanto superiores, tanto simpliciores, et uniformiores esse in operando, quia magis unite et paucioribus operationibus gaudent, quam inferiores; quanto autem aliquæ operationes magis reducuntur ad uniformitatem, et simplicitatem possunt magis habere rationem mensuræ. Similiter operationes istæ constituunt aliquam quantitatem, seu successionem discretam, et habent suum modum permanentiæ dependentem quidem a voluntate Angeli, quia libere fiunt; sed tamen juxta modum procedendi a subjecto, et modum attingendi objectum circa quod versantur, habent etiam simpliciori modo, et magis unite procedere, vel e contra, ergo habent quidquid requiritur ad rationem mensuræ, et mensurati, scilicet quantitatem aliquam per modum successionis discretæ, et similiter majorem, et minorem uniformitatem. Nec potest ista uniformitas inveniri æque perfecte in pluribus, quia supponimus non dari plures Angelos æquales, et ejusdem speciei, sed omnes esse diversæ speciei, et consequenter unum perfectiorem alio, ut infra quæstione I ostenditur. Quod magis ex solutione argumentorum constabit. Et hæc sententia Cajetani, probabilior videtur,

quam aliorum, qui negant hoc tempus discretum, inter quos videri potest magister Bagnez, ad quæstionem LIII, prima parte.

V. Ad primam rationem in contrarium respondetur operationes Angeli superioris ex ipso modo procedenti esse uniformiores, et simpliciores, etiamsi libere fiant, quia magis universaliter, et unite procedant, si connaturali modo procedant, et non secundum aversionem peccati, per quod operationes sunt irregulares, et non conformes naturæ. Et præsertim hæc major uniformitas attenditur in operationibus intellectus, ut bene advertit hic Cajetanus, tum quia sunt priores, quam operationes voluntatis, tum quia manifestiores, et magis communicabiles inferioribus per illuminationem. Ista autem major regularitas attenditur in operationibus superioribus Angeli: tum quia minus multiplicantur operationes Angeli superioris, et quælibet earum potest plus nostri temporis consumere, et ei correspondere, ubi autem est minor multiplicitas est major uniformitas, quia difformitas, et confusio nascitur ex multitudine minus ordinata. Tum etiam attenditur regularitas penes ordinem in procedendo de una operatione ad aliam, et de uno objecto ad aliud, cum enim Angelus superior plures rationes percipiat in quolibet objecto, minus confuse in eo procedit, et cum majori ordine, et uniformitate de ipso transit ad aliud. Angelus autem inferior cum minori ordine, et uniformitate procedit, quia confusius intelligit circa illa objectiva, et multo magis Angeli mali, qui minus ordinate procedunt in his, quæ sunt ad finem. Unde D. Thomas in secundo, distinct. IX, quæst. I, artic. II, docet ex Dionysio: « Quod superiores Angeli purgant inferiores a confusione, et nescientia, quatenus per lumen supe-

rius illuminantur ad intelligendum plura, » ad quæ erant in potentia, et consequenter secundum quamdam confusionem. Itaque connaturali modo procedendo (sicut semper procedunt Angeli boni) semper uniformiori modo procedunt superiores Angeli. Et licet dum ipsi habent unam operationem inferiores Angeli habeant plures, quia tamen unica operatio pertinet ad mensuram temporis discreti tamquam par illius, si ratione illius cum ordine ad aliam mensurat: sicut in nostro tempore partes ejus non sunt præsentis nisi ratione instantis, et sic istæ mensurant in ordine ad illas.

VI. Ad secundum respondetur quod operationes liberæ Angeli superioris, licet in quantum liberæ sunt occultæ, sicut etiam operationes liberæ Angeli inferioris; sunt tamen manifestabiles, et de facto manifestantur multæ per illuminationes, locutiones, et alias actiones hierarchicas, quibus manifestatur modus ipse procedendi Angeli superioris magis unitus et simplex. Et quia nunquam deest aliquis influxus a superioribus in inferiores in cœlesti patria quia fluminis impetus lætificat civitatem Dei, ideo nunquam deest operatio, quæ cognoscatur in in fluxu superiorum ad inferiores,

ubi relucet ratio temporis discreti.

VII. Ad tertium respondetur quod licet Angelus in suis operationibus liberis non subdatur superiori Angelo effective, subditur tamen exemplariter, quatenus ad ejus modum simpliciorum, et uniformiorum potest se conformare, sicut etiam esse unius non dependet ab alio effective, et tamen mensuratur per durationem alterius tamquam per simpliciorum: non requiritur autem ad rationem mensuræ, ut præcise mensura est, quod sit causa effectiva respectu mensurati, sed sufficit, quod sit simplicior illo in eodem genere, ut inquit D. Thomas in præsentis articulo VI et IV. Licet aliqua mensura ut perfectissimo modo contineat mensurata, et ut trahat illa ad se sicut æternitas causa esse debet illorum, ut supra explicatum est. In nobis autem operationes intellectus pro hac vita dependet a phantasmatibus, et sensibus, a quibus accipiunt species, et secundum connotationem, et ordinem ad illorum cognitionem, intelligimus. Operationes autem sensuum, licet elici possint in instanti, continuari tamen possunt in tempore, et a motu dependent; et ratione hujus per accidens nostrum intelligere in hac vita, tempore mensuratur.

QUÆSTIO XI.

DE UNITATE DEI.

SUMMA LITTERÆ QUÆSTIONIS.

Agit D. Thomas hic de unitate Dei ea ratione, et ordine, quem explicavimus in connexionione quæstionum hujus primæ partis juxta divisionem principalium attributorum, quæ in divina essentia considerata sunt a Div. Thoma.

Ad intelligentiam autem unitatis Dei præmittit considerationem de unitate entis in communi duobus articulis, et aliis duobus ipsam unitatem Dei explicat. Circa unitatem in communi explicat quid sit unitas communiter sumpta, tum respectu subjecti, in quo est scilicet respectu entis, tum respectu multitudinis, cui opponitur, et cujus negationem unitas includit. Et ita in primo articulo ostendit, quod unitas transcendentalis quæ est passio entis convertitur quidem cum ente, et invenitur in omni ente, non autem unitas quantitativa, quæ est principium numeri, et invenitur solum in rebus corporalibus. Non tamen addit supra ens rem aliquam positivam distinctam ab ente, sed solum negationem divisionis, includit tamen ipsum ens, cum quo colligit in secundo articulo quod unum transcendentale opponitur multitudini per modum privationis tamquam indivisum diviso; unum autem quantitativum opponitur multitudini etiam relative, sicut mensura mensurato. Et quia multitudo constat ex unitatibus tamquam ex partibus, ideo divisio potest esse prior unitate non simpliciter, sed secundum nostram apprehensionem.

Circa unitatem Dei ostendit primo Deum esse unum, sicut fides docet, et ratio demonstrat sicut in præsentis probat D. Thomas et latissime in primo contra gentes, cap. XLII: secundo, ostendit Deum maxime esse unum, quia ejus substantia magis repugnat divisioni, non enim ipsa negatio, seu privatio formaliter est magis vel minus talis, sed ratione sui fundamenti.

DISPUTATIO XI.

DE UNITATE ENTIS, ET DEI.

Multa quæ ad difficultates de unitate pertinent tractata a nobis sunt in philosophicis, et in logica, nam ea quæ pertinent ad principium individuationis, quæ utique spectant ad unitatem numericam, et ad id quod in unitate veluti physice, et

magis materialiter consideratur tractavimus in libro de generatione, quæstione IX. Et quæ pertinent ad unitatem numeri in genere quantitatis, tractavimus agendo de unitate in logica, quæstione XVI. Quæ vero pertinent ad unitatem rei universalis, quæ est consideratio logica, et ipsius unitatis secundum statum rationis, consideravimus in logica, tractando de universalibus. Nunc restat aliqua breviter libere de